



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Synodvs Avgvstana, In Cavsa Disciplinae Ecclesiasticae anno Domini
DCCCCLII. tempore Agapiti papae II. celebrato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
990.
legii facti, & violati refugii, veniam requisuit apud Patrem episcopum & totam Synodum in ecclesia Mainuon, & redditis rebus ecclesiæ omnibus, cum satisfactione & lacrymarum effusione, protinus cadens in terram, ut data sibi venia, & iuncta poenitentia, largitus est in eleemosyna Deo & sanctis Dubrio, Teliauo, & Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landauia, villam Guidcon cum toto suo territorio, id est cum tribus modiis terræ, & cum tota sua libertate, & omni communione in campus & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sui Pater episcopus, Dissaith lector, Dunin sacerdos, &c. Delaisis Nougui rex, &c. Quicumque custodierit, &c.

ANNO
CHRISTI
992.
SYNODVS AVGVSTANA,
IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ
anno Domini DCCCCLII. tempore Agapiti papæ II.
celebrata.

P R A E F A T I O.

CVM excellentissimus piissimusque Otto rex, superna attractus clementia, non minus de negotio spirituali quam de statu Christiani imperii tractaret, in primis pontificum aliorumque primatum suorum communi consilio fretus, anno incarnationis DCCCCLII. indictione decima, anno vero regni eius xvi. sub die vii. Idus Augusti, placitum Conuentumque synodalem Augustæ fieri decreuit; quatenus concordi diligentia, tam sancti cleri, quam populi ecclesiæ stabilitatis profectus, & totius Christianitatis utilitates tractarentur. Cuius diuinæ rei dispositio-
nen per reuerendissimi atque prudentissimi Frithurici, Moguntinæ sedis archiepiscopi industriam maxime gubernari deliberauit. Geroldo etiam * Iuuanensis ecclesiæ archiepiscopo, Manasse quoque Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo, Petro Rauennate archiepiscopo, ceterisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ subnotatis pontificibus hujc discussione operam exigentibus, Vdalrico Augustensis ecclisiæ episcopo, Annone Vvangelionensis ecclesiæ episco-
po, Starcando Eistetensis ecclesiæ episcopo, Conrado

Grauiter errauit Bi-
nius qui hanc Syno-
dum sub Ioanne XII
collocauit,
cum reuera
ad Agapiti
II. tempora
pertineat,
ut patet ex
ara & indi-
ctione in
ipsius pra-
fatione si-
guatis.

* Salta-
burgens-
is

ANNO
CHRISTI
912.

Constantiensis ecclesiæ episcopo, Poppone Vvirciburgen-
sis ecclesiæ episcopo, Godefrido Nemetensis ecclesiæ epi-
scopo, Hartberto Curiensis ecclesiæ episcopo, Voto-
ne Argentinensis ecclesiæ episcopo, Lantberto Frisin-
gensis ecclesiæ episcopo, Hugone Aritiensis ecclesiæ epi-
scopo, Michaele Ratisponensis ecclesiæ episcopo, Adal-
berto Patauensis ecclesiæ episcopo, Ludfrido Picinensis
ecclesiæ episcopo, Gisibrando Terdonensis ecclesiæ epi-
scopo, Antonio Brixiensis ecclesiæ episcopo, Vultone Cu-
mano episcopo, Deodato Parmensis, Adelardo Regien-
sis ecclesiæ episcopo, Sigolpho Placentinæ ecclesiæ epi-
scopo, Adalgiso Aquensis ecclesiæ episcopo, cum eorum
vnanimis diligentia huic ecclesiastico negotio vigilanter
instaret, omnibus ratum putabatur, principem regni bea-
tæ matris ecclesiæ deuotum filium postulare, quatenus ibi-
dem diuina discutientibus interesse dignaretur. Tum die
præfinito eo veniens dulcisona modulationum iucundi-
tate, honorifice, vti regiam dignitatem decuerat, ab om-
nibus acceptus, Missa celebrata finita, satisfaciendo pon-
tificum petitioni, cum insigni priuatim turba Synodus in-
trauit. Interim reuerendus Moguntinæ sedis archiepisco-
pus Frithuricus se e folio erigens, humiliter strenueque
sermonem regulari studio congruentem protulerat, deinceps
cuncta, quæ de iure ecclesiastico iuxta canonicam au-
toritatem & imitanda sanctorum patrum decreta erant
ventilata, pronuntians, in hisce omnibus huic rei necessa-
riis se in commune eius præsidium sentire postulabat. Qui-
bus rex superni amoris igne succensus, & zelo diuini amo-
ris animatus, mentis corporisque nisi ecclesiasticarum re-
rum auxiliatorem, defensorem promptissimum se esse
promittendo certificauit. Hac videlicet promissione au-
dita regali, prælibatus archiepiscopus residens, communi
ceterorū assensu, capitula subsequentia titulari præcepit.

C A P I T V L A.

I.

Si quis episcoporum, presbyterorum, dia-
conorum, subdiaconorumque, vxorem accepit, a

ANNO CHRISTI 951 sibi iniuncto officio deponendus est, sicut in Concilio Carthaginensi tenetur, cap. 25.

II.

Episcopos, presbyteros, vel aliquem de clero, canes venandi amore vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur Toletano cap. 10. Quisquis autem personarum huiusmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni ecclesiastico officio cesseret.

III.

Episcopus, presbyter, aut diaconus ales vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in Canone apostolorum habetur cap. 42. deponendus erit.

IV.

Nullus in clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis aspersa contra haec agere tentauerit, ab episcopo vel eius missa virgis cæsa detondeatur. Si autem sæcularis potestas fieri prohibuerit, regia potestate femina coacta prælatæ sententiæ subiaceat.

V.

Diuersa sæcularis vitæ negotia fugientes, & monasticæ institutionis normam aggredientes, extra claustrum sine licentia propriae abbatis ire non licet: sed tantummodo ieunio & orationi vacare, in locis quibus renuntiauerunt sæculo permanentes, sicut in Concilio Calchedonensi præcipitur.

VI.

Oportet etiam episcopum, in cuius diœcesi cœnobium situm est, monachorum prouidentiam gerere, & si aliquid correctione dignum reperit, corrigere festinet.

VII.

Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, & pro remuneratione diuina sacerdotalibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius eum in tali conuersatione perstare exhortari conetur, sicut in Concilio Toletano habetur capitulo 50.

VIII.

Sanctimonialis, quæ spontanea voluntate striciori vitae proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab episcopo impediatur.

IX.

Vt laici presbyteros sine conscientia & consensu proprii episcopi ab ecclesiis eis canonice commendatis non eiicere presumant, nec alias locum eorum subire faciant; quia vt ab episcopis ordinantur, ita necesse est ab ipsis ecclesiis procurandas accipient, sicut in Concilio habetur Arelatenfi cap. 4.

X.

Vt omnis decimatio in potestate episcopi sit, & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram episcopo eiusve misso corrigatur.

XI.

Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus,

AGAPITVS C. APVD S. THEODERICVM. OTTO I. IMPERATOR.
P. II. LYDOVICVS IV. R. FR. 95

ANNO CHRISTI 955. vt in multis Conciliis firmatum est, quia diuina ministeria contrectant, ab vxoribus abstineant. Ceteri autem clerici, quando ad maturiorem aetatem peruererint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

CONCILIVM

APVD SANCTVM THEODERICVM,
ADVERSVS RAGENOLDVM COMITEM.

FLODOARDVS *in chronico*. Anno DCCCCLIII. Synodus quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in territorio Rhemensi celebratur, Artaldo archiepiscopo præsidente: ad quam vocatus Ragenoldus comes, ob res ecclesiasticas ab eo peruersas, venire noluit; sed deprecatus est regem, ne excommunicaretur, vt ad Synodum mitteret: cuius excommunicatio, rege petente, tunc intermissa est. *Idem auctor ab Odalrico Artaldi successore anno tandem DCCCLXVI. excommunicatum docet*. Odelricus, *inquit*, archiepiscopus Ragenoldum comitem excommunicat pro villis ecclesiarum Rhemensis, quas pertinaciter detinebat: & ipse comes loca quædam eiusdem episcopii cum suis peruvadens, rapinis incendiisque deuastat.

VITA ET EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ XII.

JOANNES Alberici illius qui Vrbi dominabatur filius, Ioannes
qua aetate
pontifex fa-
ctus fit. apostolicam sedem inuasit anno Domini 955. tempore Constantini VIII. imperatoris. Et quamquam huic legitima aetas aliaque omnia deessent quæ in legitimo pontifice requiruntur, tamen accedente postea consensu totius cleri visum est hunc potius esse tolerandum, quam ecclesiam schismate aliquo, quod alioquin exortum fuisset, diuidendam. Cumque vniuersa ecclesia catholica sciret